

DISSERTATIONIS  
DE  
**USU ET APPLI-  
CATIONE HI-  
STORIAE**  
AD  
**VITAM CIVILEM.**

CAPUT PROOEMIALE,  
*Suffragio Amplissimæ Facultatis  
Philosophicæ, in Regia ad Auram  
Academiam,*

P R A E S I D E  
VIRO Admod. Rever. Celeberrimoque  
**MAG. DANIELE  
JUSLENIO,**

Sacr. L.L. Prof. Ab.

*Eruditorum examini modeste submittet  
Si DEo visum fuerit ABOÆ,  
In Auditorio Maximo d. <sup>Junij</sup> 1726.*

**HENRICUS HASSEL,**  
ALANDUS.

---

**UPSALIAE**, Literis WERNERIANIS.

Plurimum Reverendo atque  
Doctissimo DOMINO,

DN. HENRICO  
HASSEL,

V.D. COMMINISTRO in Jumala/  
plurimos per annos fidelissimo,  
PARENTI qua unquam filium de-  
cet, pietate ad cineres  
colendo.

Paterna beneficia, cumu-  
latissime in se collata, bujus  
Dissertatiunculæ oblatione  
venerari voluit

DILECTISSIMI PATRIS

obsequentissimus filius  
HENRICUS HASSEL.

## CAPUT PROOEMIALE.

§. I.

**F**alsa non minus quam noxia persuasio, medie etatis Philosophorum quam plurimos occupavit, literas carumque culturam, ad explendam sciendi cupidinem, a natura insitam, potissimum dirigi debere. Hinc solam veritatis cognitionem, lucubrationum suarum finem constituerunt, parum solliciti, emolumenti quid in genus humanum inde redundaret nec ne. Sed quem errorem, etjam vetustissimis ferre ignotum, dudum explose runt Recentiores, invictis ratio-

tionibus demonstrantes, cognitionem illam veritatis mediæ esse naturæ; ut, si quem usum vitæ humanæ, inter Christianos præsertim, præbeat, ceu bona recipi, hoc vero destituta, ut vana rejici debeat.

## §. II.

**F**Ructuosum juxta ac jucundum est, per singulas eundem scientias demonstrare quæ in felicitatem humanam influxum præbeant, quid in illis maxime sit utile, quid cujuslibet instituto convenientissimum, & quæ genuina ratio veritates utiles investigandi & applicandi. Conducit hoc quibusvis literarum cultoribus, imprimis vero illis, qui ad vitam practicam

cam se mature applicant. Sic non tantum sterilis vitatur labor, qui multis percipiendis impenditur, quæ deditcuntur, quam discuntur sapientius; verum etjam, qvum pretiosissimi temporis habenda sit ratio, multa omitti possunt, in se quidem non inutilia, sed quibus certa vitæ genera sine damno carerent, & quorum loco, illis destinati, aliis magis necessariis vacarent. Ut prior victoria est instrumentum sequentis, & unius vel alterius munimenti expugnatio viam quandoque pandit in spatiostissimum regnum, ita paucarum veritatum cognitio totius scientiæ arcana sœpe referat. Digna est hæc palæstra, in qua summa inge-

genia se exerceant; mihi & vi-  
riū & instituti & sumtuum  
rationem habituro, historiam  
tantum considerare proposi-  
tum est. Hæc autem, qvum per  
naturam, artes, icientias & ne-  
gotia hominum publica & pri-  
vata se diffundat, vereor, ne  
gravius in me onus suscep-  
rim, quam cui ferendo suffi-  
ciam. Sed si non omnia, quæ  
in nobilissima hac materia dici  
possent, adferre valuero, (quod  
quidem supra facultatem me-  
am possum;) summa rerum  
momenta perspicua brevitate  
adiequi conabor, Tuum L. B.  
favorem, qua par est obser-  
vantia sollicitans.

U Tlegi apud eruditos coniu-  
niter receptæ satisfiat, a de-  
finitione ordiendū est. Sed qvū  
historia res adeo diversas tra-  
ctet, ut una definitione minus  
apte conjungi queant, ejus na-  
turā in generalioribus differen-  
tiis sistam. Datur itaq; historia  
naturalis, quæ simplices natu-  
ræ leges & operationes, vel casu  
vel arte inventas explicat. Hi-  
storia artificialis artium inven-  
tionem & incrementa docet.  
Historia civilis res in genere  
humano actas, imprimis rerū  
publicarum ortum, progres-  
sum & fata enarrat. Quemad-  
modum genus humanum in  
civitatibus conservatur, qua-  
rum incolitati singulorum

hominum talus innectitur, in  
hanc tanquam centrum omnis  
historia confluit. Vario ince-  
dit habitu historia civilis. Jam  
certæ alicujus reipublicæ fata  
exponit, incipiendo ab ejus  
origine & continuando per se-  
riem temporum. Jam narra-  
tionem intra definiti temporis  
partem includit. Jam unum  
tantum negotium belli vel pa-  
cis proponit. Jam res, eodem  
tempore pluribus in rebuspu-  
blicis administratas, narrando  
conjungit. Ut respublicæ ex  
singulis hominibus compo-  
nuntur, ita certarum persona-  
rum & actionum descriptio-  
nes, elementorum vicem sup-  
plent in historia civili. In Per-  
sonis privatis ad ingenium &  
mores

mores attenditur, in publicis  
præter τὸ ἡγεμονίαν, τὸ πολιτικὸν etjam  
exhibitetur. Varios casus con-  
gerit historia Miscellanea. Huc  
pertinent scripta in *Ana*, qui-  
bus Eruditorum discursus ex-  
temporales excipiuntur. Hi-  
storia Literaria scientiarum or-  
tum, progressum & fata rei-  
publicæ Literariæ tradit. Hi-  
storia Ecclesiastica statum Ec-  
clesiæ & res in ea actas docet;  
quarum expositio in quantum  
ad scripturam non examinan-  
tur, Historiæ civilis naturam  
induit, cuius est narrare, quæ in  
genere humano peraguntur,  
ex quocunque fundamento  
fiant.

**A**d indeolem historiæ rectius intelligendam, quod circa eam consignandam observari debeat, paucis indicandum est. Primo requiritur in Historico exquisita rerum scribendarum notitia: Quod enim ipse quis non intelligit, aliis explicare frustra laborat. Nec juvat res exterius aliquo modo cognovisse, ad interiora earum penetrandum est. Hoc ut fieri possit, Historicus communes generis humani inclinationes, vitæ civilis indeolem & negotiorum, quæ bello & pace tractantur, naturam exploratam habebit. Reipublicæ, cuius gesta explicat, statum & arcana cognoscet. Qui in istis rebus publicis sum-

summum habent imperium,  
vel illis a consiliis sunt, & rebus  
administrandis præpositi, vel  
singulari apud eos gratia va-  
lent, in eorum ingenium & se-  
creta inquiret. In his consilio-  
rum ratio fundatur, quæ alio-  
quin incasū indagantur. Heic  
etjam mutationum caussæ de-  
litescunt, quæ aliter non intel-  
liguntur.

## §. V.

**U**T in politicis tritum: salus  
reipublicæ suprema lex e-  
sto, ita heic locum inveniat: Ve-  
ritas suprema lex esto. Sine hac  
quod scribitur, fabulæ potius  
quam Historiæ nomen mere-  
tur. Si odiosi & infames, qui co-  
ram Judice, in mercatura vel a-  
lias falsum proferunt; magis  
de-

detestandi sunt, qui in genus  
humanum & posteritatem o-  
mnē mendacio peccant. Sim-  
plex veritatis studium in eo  
consistit, ut scriptor a partium  
studio liber, res prout actæ  
sunt, cum suis caussis & cir-  
cumstantiis exponat, nec amo-  
re, odio, spe, metu aut ullo adfe-  
etu quidquam illis addat vel  
demat. Magnum est hoc po-  
stulatum, quod num ullus ad-  
huc perfecerit, merito dubitare  
licet. Ut autem ipsa peccandi  
necessitas culpam minuit, ita  
generosi pectoris est, minimo  
cum peccato, hac necessitate  
defungi.

## §. VI.

**H**istoricus etjam exacto ju-  
dicio pragmatico opus ha-  
bet.

bet. Ut Historia debet esse expressa rerum gestarum imago, earum genio adeo se attemperare debet, ut quæ transacta sunt, præsentia & ipsa quasi præxi operosa & viva fistantur, multum habet in recessu. Hujus judicij vis sequentibus in momentis consistit: Veras rerum caussas proximas & remotiores explicari, & a prætextibus distingui oportet. Hinc diligentia adhibenda, ne quis ruminibus vel alio fuso decipiat. Ubi consilia & fines proponuntur, eadem cautione opus. Nec minus cavendum, ne conjecturis nimis indulgetur. Nihil ex proprio ingenio fingere, sed rerum ductum fideliter sequi convenit.

In

In circumstantiis observandū, ne quid alienum & præsenti instituto inceptum adferatur, vel aliquid ad rem faciens omittatur. Oeconomia totius operis ita formanda, ut singulæ partes ad illud quadrent. Cavendum, ne res majoris momenti parcias, minoris fusius tractentur. Quæ in particulari Historia omnino narrabuntur, in universalī præteriri poslunt. Operis pretium æstimandum, non tantum ex robore singularum partium, sed ex earum inter se & ad totum convenientia. Prudentiæ etiam est, judicia parce adspergere; aliis judicandi materiam candide subministrasse sufficiat.

**S**Implici & masculo dicendi genere utitur Historicus id est, rerum pondera, non verborum ampullas sectatur. Cavet ne imaginationis vi abripiatur, cavet etjam, ne verbum vel periodum frustra adhibeat. Imprimis sibi diffidit, & accurate examinat, ne quid proferat, quod ad ostentationem ingenii potius, quam rerum soliditatem faciat.

## §. VIII.

**H**æc sunt palmaria capita, ab Historicis observanda, in quibus recensendis, ad Historiam civilem, ceu primarium hujus tractationis argumentum, potissimum respexi. Ne-

mo

mo autem Historiam adeo perfectam confecit, ut non multi in ea dentur nævi. Quidam necessitate, infirmitate alii, multi sponte peccant. Errorum fontes detegere, & modum eos cavendi demonstrare, maxime conductit. Pauci enim Historias scribunt, multi legunt, qui nisi hanc artem calleant, temporis & laboris jacturam faciunt. Qvod institutum, pro virium modulo subsequens tractatio persequetur.

